Quelle: https://manuscripta.at/?ID=388
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Cuius autem templi renouatio secundum sancti Iheremie prophetiam . ex illa transmigratione
post annos . LXX . sperabatur. Qui cum impleti essent sub Dario rege babilonis . impleti
sunt spiritu sancto hi duo prophete aggeus et Zacharias . et ambo per inuicem unum an-
num prophetare ceperunt . quod ad renouationem templi sic tanto ante predictum est pertinere
uidebatur. Sed quisquis corporalium gestis oculum cordis infigit . neque inde in gratiam spi-
ritualis intellectus extenditur . habitat cogitatione in lapidibus templi . quibus uisi-
bilis fabrica manibus constructa hominum consurgit . nec ipse lapis uiuus
efficitur . templo illi accommodatus atque aptus . quod in suo corpore primum dominus figurauit
cum ait . Soluite templum hoc . et in triduo suscitabo illud . Est enim corpus domini ple-
nius ipsa sancta ecclesia . cuius caput ascendit in celum . qui est maxime lapis uiuus . lapis
angularis . de quo beatus petrus dicit . Ad quem accedentes lapidem uiuum . ab ho-
minibus reprobatum . a deo autem electum et honorificatum . Et uos ergo tamquam lapides
uiui edificamini in domum spiritalem . in sacerdotium sanctum . offerentes spiritales uicti-
mas acceptas deo . per ihesum christum . quia continet scriptura . Ecce pono in syon la-
pidem angularem . electum . preciosum . et qui crediderit in illum non confundetur. Ergo ut fi-
at quisque lapis uiuus ad talem fabricam idoneus spiritaliter intelligat . templi reno-
uationem ex ruina ueteri que in adam facta est . reparationem noui populi secundum no-
uum hominem atque celestem . ut sicut portauimus imaginem terreni . portemus et ima-
ginem eius qui de celo est . quo possimus per omnes seculi huius etates . tamquam per septuagin-
ta annos qui mystico perfectionis numero presignantur . et tamquam post captiuitatem
longinque peregrinationis non ruitura mole construi . sed eterna immortalitate so-
lidari. Spiritalem quippe hierusalem non magis iudeorum quam uestram esse deputetis.
Sic enim dicit apostolus iam non estis peregrini et inquilini . sed estis ciues sanctorum et do-
mestici dei . superedificati super fundamentum apostolorum et prophetarum . ipso summo an-
gulari lapide existente christo ihesu . In quo omnis edificatio constructa . crescit
in templum sanctum in domino . In quo et uos coedificamini in habitaculum dei in spiritu
sancto. Hoc est templum dei . ad quod pertinet sacramentum prophetationis aggei et Za-
charie. Cui rursus idem apostolus dicit. Templum dei sanctum est quod estis uos. Quisquis
igitur se ad opus huius coedificationis et ad spem sancte firmeque compaginis tamquam
lapidem uiuum ab huius mundi ruinosa labe conuertit . intelligit titulum psal-
mi . intelligit conuersionem aggei et Zacharie. Cantet ergo que sequuntur non
tam lingue uoce quam uite. Erit enim edificii perfectio . ineffabilis pax illa
sapientie . cuius initium est timor domini. Inde ergo incipiat . que coedificatur con-
uersio ista. INCIPIT TRACTATUS.

BEATUS UIR QUI timet dominum . in mandatis eius uolet nimis.
Uidit dominus qui solus et ueraciter et misericorditer iudicat . quantum iste profi-